

1530. id est 18. Octobris.

Petrus Tomicki Episcopus Cra:  
coviensis.

37

Quum hæc scriberentur, venit ad me Do:  
minus Albertus Præpositus Quinguec:  
lesien, ob relique Dotis Illustrissime  
Domine Zophia Masovia Ducis repe:  
titionem, quem cum ego ad majesta:  
tem Vestram adduxissem, quæsissemque  
ab eo, qui status, quæve conditio rerum  
nunc in Hungaria esset, narravit omnia  
esse ad summam miseriam et calamita:  
tem redacta inquitens Turcos illos, quos  
paulo ante in finibus Moravia, fuisse  
scribit, præter id quod quadraginta millia  
hominum in servitutem abduxerunt,  
plus quam hostilia pleraque alia etiam  
et que hominis crudelitatem superarent  
patrasse. In unius illorum status, que  
habuerunt in bonis Domini Mexij Thur:  
rasonis post discessum eorum reperti  
sunt infantes masculi cæsi, et necati  
circiter mille, et femine puella trecen:  
te relicte semivivæ, quas fortasse  
propterea occidere abstinerunt, quod  
nocere armis utque adultæ posthac  
sexu prohibente non possent.

De





De regis autem Ferdinandi exer:  
citu ista dixit, quod jam Viennae viderit  
plurimos milites, a quibus intellexit  
esse Decem millia paratissimorum Hi:  
spanorum, et Germanorum Lanceario:  
rum, et octingentos equites Catha:  
ctos Germanos, Hungaros autem levis  
armatura mille, qui Duce et capita:  
neo domino de Ragendorff in Hunga:  
riam mittantur, quodque ad illorum nu:  
merum accedere debeat, cum aliquot mil:  
libus susceptorum et evocatorum ex  
Stiria, Et Carinthia hominum D. La:  
czyganez, item etiam retulit Serenif:  
simum regem Ferdinandum, naves tor:  
mentiis bellicis majoribus triginta, uno  
et comatu copioso instruxisse, et ad o:  
mnem occasionem paratus super Danu:  
bio habere. Quibus rebus ego vocor in  
Dubium, ne non frustra de concordia iste  
multorum Oratorum conventus habeat:  
ur. Faxit tamen Dominus Deus, ut ino:  
pinantibus nobis aliquid boni accidat, ob  
quod ego Dominum Deum cum clero meo  
orare indignus non cesso. Commendo me  
amori et benevolentiae fraternae inquit  
Vestrae, qua sanam esse, atque cum omnibus suis  
semper incolumem et felicem vehementer  
Desidero Datum Cracoviae die 18. Octobris A<sup>o</sup> 1530. 2